

**A** lisset. Quo tempore non attulit, id minime otio conterendum esse iudicavit. *In vit. PP.*

**SERAPIONIS** Abbatis Monachos ita institutos fuisse accepimus, ut manuum mercede sibi in die alimenta conquirerent. Eisdem, cum in agris tempestiva messis esset, operam locare. & quicquid stipis inde exegissent, totum indigentibus (hisque maxime qui vinculis publicis arctati erant) erogare atque distribuere consuevissent. Sic illi ne minimam quidem partem desiderii dabant. Præcipueque largiendo, cum quicquam sibi superesset, pietatem excolebant, sed nec minus humilitatem, cum serviles operas non indignarentur. Vno igitur labore, trium virtutum fructum colligebant, solertia, pietatis, humilitatis. *Pallad. Hist. c. 76.*

Manuum etiam labore victitasse fertur Hilarius Abbas in monte Emilie commemoratus, atque ibidem suis impensis Ecclesiam construxisse. Cum ergo corpus exercendo animam integritatem conferar, & tandem cælestem beatitudinem consecutus sit, apparet verissimum esse illud in Ecclesiastico scriptum: Vita sufficientis operarij conculcabitur, & in ea inuenies thesaurum. *Hist. trip. lib. 6. cap. 12.*

**VANDO** Abbas in finibus Gallie Monasterij Fontanelle, quod ipse edificauerat, cum Guidone nepote Deo seruienti, postquam egere cœpisset, à Barylda Regina diuinitus monita plaustrum cibariis onustum accepit. Sed deinceps de operibus manuum victui suo necessaria suppeditauit. Quod si is, qui dum penuria premeretur, Dei erga se benignitate expertus fuerat, manualementem non detrectauit, ne tentare videretur benefactorem suum in eo exigendo, quod ipse sibi præstare posset: vis tu necessitati tuæ non succurrere laborando cum possis: At ob hoc ipsum te indignum statuis, quod præsumptione vitaris, teque marcescere otio sinas.

Quod quidem cauens Venerius Abbas, dum solitarius in Palmaria insula, quæ à continenti Lunensis oppidi octo mille passibus abest, vitam durè admodum asperèque ageret, diu herbis pomisque syluestribus sustentatus, tandem ad agriculturam se accinxit, tanto Domini fauore, ut vnum sarculum hordeique modicum habens, die vno humum profeciderit, semen sparserit, messem fecerit. Quo miraculo & hominis necessitati consultum est, & palam factum, quàm istud exercitij genus Deo esset gratum. Nisi enim illi perplacuisse, nunquam tam præcoqua fruge, tam repentino prouentu laborantis curam compensasset. Hinc illud est in Ecclesiastico dictum: Non oderis laboriosa opera, & rusticationem ab altissimo creatam.

**STEPHANVS** Anacoreta in Mareotide regione, sanctitate vitæ & miraculis clarus, quamuis hernia morbo (quem Græci Hydrocelen appellant) laboraret, non tamen intermittebat, quin certa diei hora de palmarum foliis funiculum intorqueret, maiorem morbum existimans otiositatem. *Hist. Trip. lib. 9. cap. 1.*

**Danieli** Ægyptio Abbati & Presbytero in Scythiotico Monasterio degenti, sicuti facere aliquid operis post spirituales labores libuit: ita ea quæ confecerat, ad vicium aliquem deferendo venditatem rubori non fuit. Pretium omne pauperibus dilargiebatur, elemosynas de propriis laboribus impendens, comperta ratione, quæ & minime otiosus, & maxime pius esset: utque dignus appareret, cuius exemplo ceteri viuere, miraculis nobilitatus est. *In vit. PP.*

**D** Nunquam autem magis patet vanis cogitationibus mens nostra, quàm cum otio corpus ipsum indulget. Et hoc quidè Antonij exemplo probare possumus. Qui quondam solitudinis tædio affectus, cum dubius animi æstuar, clamare cœpit: Saluari cupio, Domine, & ecce cogitationes meæ mihi aduersantur. Mox vbi de cella prodit, conspexit hominem monachali habitu succinctum, nunc calathos textentem, nunc ad orandum procumbentem. Et dum rem tacitus miratur, ab eodem tandem audiuit: Sic & tu age, Antoni, sic enim agèdo saluaberis. Cumque id loquentem statim non comparuisse animaduerteret, Angelum Dei fuisse intellexit. Ac deinde operum orationumque vices monitu eius diligenter seruans, ad tantam perfectionem descendit, ut nemo illis temporibus, vel Abbatum, vel Monachorum, Anachoretarumque maiori admirationi fuerit. *Athanas. in vit. Anton.*

Artenium Abbatem, dum opus faceret, lachrymas effundere solitum, Scriptores tradunt. Quæ res indicio est, longè aliud illi cogitasse, quàm quod manibus fabricaret. Manus quidem labori intentæ erant, sed mens diuinis meditationi-

bus assueta ad Deum tollebat, & eius desiderio accensa à fletu temperare non poterat. O cælestem vitum, qui etiam inter laborandum futura beatitudinis dulcedinem degustabat! *Metaproph.*

**PHILORONIS** Presbyter, dum in quodam Gallie monte multa se abstinentia fatigaret, non minus manuum operatione exercebatur. Inde illi suppetere potuerunt longinquæ peregrinationis impensæ, Romam, Ierosolymamque itinerari. Et quoniam nunquam neque ieiunij angustiis, neque manuum, neque pedum inquietudine defatigatus est, sempiternæ quietis indicibili bono perfrui meruit, Martyrum coronam adeptus, non quod Martyrium passus esset, sed quod patres martyrio pro Christo susceperit labores.

De Archebio Cassianus refert, quod dum adhuc in cœnobio cum fratribus versaretur, laborem, quo ibi omnibus horis exercebatur, sibi duplicando, pro matre creditore satisfecerit, cum ipsa ob inopiam soluendo non esset. At neque patrem, neque matrem agnouerat, dum religionem profiteretur: tunc vero matrem se habere intellexit, cum illam egestate liteque coarctari vidit, ut ei scilicet, qui parentes honorari iussit, obediret, cuius amore & ipsam reliquerat & patrem, Archebius igitur præceptum Domini seruauit, matre oppressæ subueniendo: otio locum non dedit, laborem super dolorem cumulando: Religionis cultum non intermisit, in Monasterio permanendo: & charitatis opus auxit, miserendo calamitati alienæ. *Cassian. de gastr. cap. 38.*

Deinde solitariam institutum secutus, cum in insula Nili vitam duceret, Cassiano eò aduenienti, atque ibidem inter Anachoretas residere cupienti, cellam cum suppellectili dono obtulit, se inde transmigraue velle dicens. Post paucos autem dies reuersus, alteram multo labore sibi construxit. Sed mox & illam simul cum instrumento pari simulatione aliis eò appulsi concessit, & iam tertiam (ut ipse Cassianus tradit) sibi ponere moliebatur, hanc etiam daturus si habitatorem inuenisset. Tali itaque liberalitate ad seruitium Dei aduenas inuitabat, tali commento ne recusat circumueniebat, tali denique labore perniciosa otij mollitiam excutere atque abigere lætus alacerque solebat. Non sensit laboris tædium, dum opus exercet pietatis. *Ibid. cap. 37.*

Cum Pacomio Abbate in quodam Thebaidis monasterio mille quingenti Monachi erant, omnes manibus sibi victum comparantes, ita ut etiam extra monasterium pauperibus alimonie subsidia mitterent. Plurima inter eos artificum opera, & præcipue quidem exercendi corporis gratiâ, cudebantur, ut edomita assiduis fatigationibus caro disceret seruire spiritui. Manus enim fortium (ut Salomon inquit) dominabitur: quæ autem remissa est, tributis seruiet. *In vit. PP.*

Siquidem & Paulus Abbas in Ægypti eremo (cui Porphyrij nomen est) condens, cum sibi ad victum hortulus, quem ipse fecerat, & palmarum ferax regio satis essent; quotidie tamen aliquot horis palmæ texturæ operam impendebat. Ea verò, quæ texerat, annis singulis concremabat. Septima enim & eò amplius mansione ab hominum habitaculis remoto neque dare illa cuiquam, neque vendere promptum erat. Quotidianus igitur labor, non nisi fugiendi otij causa infumebatur. Quod si desideria torporique se dedisset, nec in deserto plus permanere, nec ad perfectionem sanctitudinis peruenire potuisset. Multam enim malitiam docuit otiositas. *Cassian. libro 10. cap. 24.*

**D.** Hieronymus ad Virgines scribens: Hoc vnum, inquit, apud omnes obseruationis præcipuum est, & celebre per Ægyptum, ut neminem nisi obedientem & humilem ad omnes labores perficiendos & opera suscipiant. Quatenus dormita caro ex grauedine, cogitationibus vanis, & voluptatibus non vacet ex otio. Tenentis firmissimè, quod omnis concupiscentiæ & immunditiæ atque peccati mater est otiositas. *Hieron. ad Eustoch.*

Idecirco Simeoni Monacho ex Italia partibus in illam Nili insulam (cuius paulè antè mentionem fecimus) sese conferenti, cum nullam artem calleret, præter Latinæ literæ (cuius illic vsus nullus erat) scripturam, à quodam Seniorum prouisum esse ne esset otiosus. Finxit enim piissimus simulator habere se fratrem in Italica cohorte militantem, Latinis literis instructum, & à Simeone petiit, ut sibi Apostolicum Pauli codicem latinè conscriberet, fratris mittendū, quo ille legendi animi virtutibus proficere posset. Sub tali prætextu, & ipsum ad scribendi exercitium excitauit, & quasi mercedis loco